

Vc
4994

8.

d. 3, 25.

CUM JUVANTE DEO,

Vc
4994

**SERENISSIMUS AC POTENTISSIMUS
PRINCEPS ET DOMINUS**

DN. JOHANNES
GEORGIIUS II.

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MON-
TIUM DUX, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-
MARESCHALLUS ATQVE ELECTOR, LANDGRAVIUS
THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ, NEC NON UTRIUSQUE
LUSATIÆ, BURGGRAVIUS MAGDEBURGI, CO-
MES MARCÆ ET RAVENSBERGI, DYNASTA
RAVENSTEINII, &c. &c. &c.

AD
CLIMACTERICUM MAGNUM
INTEGER FLORENSQVE PERVENISSET,
IPSO AUSPICATISSIMO EJUS
NATALI,

QVI IN ANNI VERTENTIS cI, I, c LXXV
DIEM XXXI. MAJI INCIDIT,
IN TEMPLO ARCIS, QVOD VVITTE-
BERGÆ EST,

ORATIONE SOLENNI, ET PUBLICA GRATULATIONE CULTUQVE

VOTA NUNCUPAVIT

ACADEMIA VVITTEBERGENSIS.

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typographi.





Væ tandem post tot vota expectatio-
nesque nostras illuxit dies, ea cœle-
stis beneficij memoriam renovat, &
quia cum salute omnium conjuncta est, non ad
unius, aut plurium lætitiam pertinet, sed omnes
æqvè afficit gaudio ac delectat, exterisque pari-
ter & cives gratulationis sensu excitatos, in par-
tem officij vocat, atque communis studii obsequiū-
que necessitudine sic conjungit, ut non suscepta
gratulatio, sed quoddam quasi pietatis certamen
institutum esse videatur. Equidem non casu,
aut fortuitò, sed vi ac numine divino in hoc cir-
citu atque orbe temporum hæc cumprimis

JOHANNI GEORGIO II.

fausta lux est, quæ præterquam quod nomen e-
jus veneratione sanctum, festis acclamacionibus
consecrandum præbet, ipsum etiam Principem
corpore animoque vigentem aspicit, & concilia-
tâ divinitate senescentem amplectitur ac fovet,

A 2

eo

eo qvidem ætatis articulo , in qvo raro fortunæ
beneficio Principes deprehenduntur. **Q**vi qvot
natales repetit, tot reipublicæ rependit, qvotqve
spatia annorum conficit, tot decora sibi, tot no-
mina posteris addit, atqve tot incrementa huic
augustissimo templo , tot commoda utilitates-
qve huic sanctissimo eruditionis domicilio affert.
Neqve secùs ejus vita, qvàm universorum felici-
tas æstimatur : ætas etiam perinde, ac ruinarum
publicarum fulcimentum benignitatis recorda-
tione distingvitur, atqve eadem longi ipsius , &
ad summam senectutem procedentis ævi, qvæ
firmi valentisqve imperii documenta sunt, ac ve-
luti pignora, donec homines erunt, in animis ho-
minum mansura. **C**ùm autem nemo sit , qvi
non id velit, vehementerq; optet, tūm mihi, post-
qvam hoc celebrandi natalis munus suscepi, nihil
nunc esse antiquius debet, qvàm ut optimo & e-
ligendis Cæsaribus sanctissimo Principi testari fal-
tem voluntatem piam, atqve animum afferre o-
mninò memorem , non dicam ad referendam,
qvod à me longissimè abest, sed solùm ad ha-
bendam prædicandamqve gratiam possim.
Qvi hodie demùm intelligit, omnium caritates se

com-

complecti, qvando à Deo immortalihæc ipsi data forsest, ut annum toto vitæ humanæ curriculo præ cæteris memorabilem , & singulariter temporum conuersione insignem, tertium & sexagesimum justo moderatoqve imperio adjungeret, & pristinæ mansuetudinis beneficentiæqve gloriâ lætè ac feliciter continuaret. Idque interspes nostras ac desideria non intermissa præcipuum semper fuit, ut integer ac fortuna Principali florens ad hunc diem, in quo qvid posset rerum æternitas, experiri voluit, perveniret, & qvod pietas adjicit, etiam longè multumqve nostrâ & posteritatis causa supereret. Non enim vel maiorem animis voluptatem capere, vel opportunius lætandi argumentum reperire possumus, qvàm qvòd benignissimum Principem juxta atque indulgentissimum Patrem ipso natali auspicatissimo salvum atq; incolumem appellamus. In quo Divum Genitorem JOHANNEM GEORGIUM I. non ereptum, sed commutatâ personâ redditum, & Deo pariter atq; Cæfari pro libertate ac imperio fidum, & bonitate sua atque innocentia firmum intuemur: qvi ore, vultu, divinam gravitatem, ætate, moribus constan-

tiam retinet, mente, animo laudis summam absolvit, adeò ut omnibus, qvotqvot in excelsō gradum tenent, imitandi quidem occasionem præbeat, ac vivum exemplum relinqyat, mihi autem æquandi verbis magnitudinem, ac dignè exprimendi spem prorsus adimat. Quanquam ideò non deseram officium, & qvia gratias agi decreto patrum placuit, simul animum honestā pertinaciā obfirmatum ad maximam perfectamq; omnibus numeris summi Principis dignitatem, resq; egregiè aetas vertam, atq; curam adhibeo omnem, ut qvùm is à me reetè collaudari non posfit, neq; mea culpâ ullo veræ laudis genere defraudetur.

Principiò, qvantus evasurus esset, Patri, qvùm turbatâ Bohemiâ, res Austriorum lapsa esset, illa verò ætate, qvæ nondum laboris bellici patiens erat, demonstravit : nam & signa seqvi ardebat, & niti pro Cæsare suo velle, puer affirmabat, haud secùs, ac si à natura in Cæsarem ingeneratus amor, continere se non posset, qvin statim sub disciplina patris tam notabili indicio se proderet, acut in animo ipsius, & sangvine Saxonico fundatus videretur, sub pellibus memorabili documento declarari cuperet. Sed Divus Pater, qui

sci-

fciret , qvid illi ætati conveniret , Carolum
cui additum magni cognomen est , qui Ludo-
yicum filium procul castris , ne tenera ætas
confyetudine militari vitium traheret , educan-
dum curavit , imitatus , edixit , ut , qvi ejus fin-
gendi moderandiq; curam sustinerent , Princi-
pem , in qvo sua & patriæ spes esset , ad pietatem ,
ac regendi artes erudirent . Ex qvo præcepto
Patris , & conviētu aulæ Principum , ac institu-
tione sanctissima eosfructus cepit , ut vitæ inno-
centis conscientiâ fretus , atque hujus propositi
sanctitate munitus , fortunæ adversæ remedium ,
secundæ firmamentum haberet . Qvi cum ipse
se sibi reddit , mentem conjungit cum Deo , &
rerum cogitatione æternarum pascit quotidie , ac
religionem inter ardua curarum perpetuò habet ,
ut vitam agens in terris , assiduè aspirare in cœ-
lum , ac ad naturam suam tendere videatur .
Inde versat in animo res ævo suo decoras , & pu-
blicè utiles , & quatenus ad honorem Cæsaris or-
namentaq; Imperii pertinent , & promptæ effe-
ctu sunt , in laude ponit , ac sponte expetit .
Mox sermonibus agitat , qvid alii honestè sentiant ,
& cum graviora emergunt , in medium confert ,

ac subinde consilia & sententias sciscitatur , &
non modò, qvod reipublicæ expedit, ipse svadet,
sed rectè etiam svadentes audit seqviturq;. Qvi-
bus rebus tantam laudem est consecutus , ut æ-
què bene de vicinis , ac de civibus suis , mereatur,
& firmitate quadam compositæ mentis justè le-
gitimeque partis acqviscat , nemini , qvod nec
hostes negant , gravis unquam , aut molestus.
Nam qvi nulla data causa , nec laceſſiti , jus in ar-
mis ferunt , hi dum ad aliena animum adjiciunt,
& virtutes in summa fortuna optimas profundæ
dominationi posthabent , ac publicam qquietem
pessimo exemplo turbant , ſæpe ipſi ſua , nec im-
meritò amittunt , & ſpem remqve omnem in di-
ſcrimen adducunt. Cujusmodi cupidio eò mi-
nùs incessere , aut expugnare animum Principis
noſtri potest , qvòd ad justitiæ moderationisque
gloriam eum non tantùm honesta ratio , ſed
etiam Divi Ferdinandi III. qvem pacifici lau-
de ornat posteritas , exemplum induxit. Enim-
verò Princeps juventutis non affeſtum , nec in-
genium mutavit , ſed plenus ſuæ , plenus pater-
narum amicitiarum Cæſarem aliquoties inviſit,
& Patrem pro eo , ac ut res Germanica in anti-

qvum

qvum statum rediret , annitentem , atque comi-
tate officiisque certantem in Bohemiam profe-
cutus , Leutmerizii & Pragæ consilia ac sermo-
nes de republica habitos audivit , tanto Ferdi-
nandi studio , ut Principem singulari amore am-
pleretur , & consideret , virtutem ad publica
decora cultumq; Cæsar is excitatam apud suos
& Saxonum successores firmam atque stabilem
fore .. Nec inane Cæsar is omen fuit , & fidem
implevit eventus . Posteaquam enim Divus Pa-
ter stirpi suæ repetitus , vacuum Principi nostro
locum reliquit , eâ providentia ac fide munus su-
um geslit , ut præter vitæ sanctimoniam , servan-
dæ reipublicæ curam omnibus approbaret ..
Nam & tutam tranquillamque fortunam omni-
um præsttit , & jura , mores , instituta , leges ma-
jorum exemplo defendit atque custodivit . Po-
stea erepto rebus humanis Ferdinando III. cu-
jus res actaque nec disertissimus quisque potest
exequi , velut in specula collocatus , interregnum
bene sapienterq; administravit , & quod Germa-
niæ utile gloriosumque erat , maximum atque fe-
licissimi nominis Principem Leopoldum suffra-
gio suo Cæsarem renunciavit , & ratione atque

C

con-



consilio arduum hoc opus perfecit, cum ut metu
periculoq; patriam, turbato tunc Septentrio-
ne, liberaret, tum ut Domui longo Imperio fun-
datæ sumnum orbis terrarum decus, & pacem
quietemq; stabiliret. In hæc verba sacramen-
tum dixit Leopoldo, & fidem obligavit, testem
non suæ modò, sed ad nepotes posterosq; dura-
turæ pietatis. Qvam tantâ solicitudine etiam-
num tuetur, & rebus factisq; identidem decla-
rat, atque cunctis ante oculos ponit, ut intelli-
gant, nullo paðto ipsum neq; à Cæsar is amore,
neq; à deserenda ejus justa causa ayerti posse,
sed cupere, atq; omni cogitatione huc incum-
bere, ut, ubi Cæsar est, ibi tuta Cæsar is Rei q;ve
publicæ majestas sit, & æq;o jure floreat, ac ro-
bur incrementumq; in dies capiat, atq; domi
sempiternâ Principum consensione firmetur.
Qvod ut effectui daret expertæ fidei Princeps,
operam sæpe contulit, & consilia viresq; socia-
vit, præcipue qvùm fines patriæ ob Turcas in
metu discrimineq; essent, & Principes Germa-
niæ ad comitia Ratisbonæ indicta, atque ad so-
cietatem armorum invitati tardius conveni-
rent: ipse qvanta potuit festinatione propera-
vit

yit Ratisbonam, atque eò ante multos accessit,
atque cum Cæfare collocutus , maturandi belli
auctor adjutorq; fuit , & postqvam publico bo-
no satis consuluisse, ab Augusto comiter habi-
tus cultusqve, magno omnium applausu favore-
qve ad suos rediit : qvin & novissimè Egram
profecto, pietate incensus, sine mora affuit, & fi-
di Principis officium obivit, atque rebus ad Ni-
crum Rhenumq; turbidis, opem consiliumq; at-
tulit, ut Cæsar & senio constantiæq; ejus hono-
rem maximum haberet, & haud aliter, qvàm in
Patris loco duceret. Quod qvale sit, omnes in-
telligunt, nec jam mirandi causa est, qvare hujus
exemplum moris transferit ad reges , qvorum a-
liqui gloriam sui generis in Principe nostro po-
nunt , & nunc ab eo ductas origines suæ stirpis,
nunc cum eo contractas necessitudines laudant:
aliqui etiam ordinibus gentis suæ sanctissimis
ascriptum , atqve in societatem suæ laudis rece-
ptum sibi gratulantur. Qvamvis autem hæc
magna sint, qvæ dixi, & tantùm ab origine divi-
na proficiscantur, tamen majora restant , qvæ si
mihi par rebus ingenium viresqve suppeterent,
latè copioseqve explicarem : nunc qvùm ea me

omnia deficiant, illud profectò consolatur, qvòd
cum magni exempli sint, omnium oculis obver-
sentur, & quia pleraque etiam talia sunt, qvæ aut
accuratè singuli jam cognovimus, aut vidimus,
aut ex iis didicimus, qvi ipsi interfuerunt, omit-
tam illa ipsa commemorare. Tantummodo
addam de studio divini cultus, & sacrorum apud
barbaros amplificatorum; siqvidem id testantur
Massagetae, atque ejus beneficio repurgatae reli-
gionis monumenta habent, ac scholas magnâ ip-
sius impensâ institutas, & liberalitate immorta-
li ad hoc usqve tempus conservatas cœlesti nutu
intuentur. Cujus gloriæ fructum præcerpsit
vicinis illarum gentium, & faciendo docuit, qvæ
alii docendo non faciunt, cum res divinas cu-
rant in speciem, & qvantò magis eas jaētant,
tanto minùs colunt, cupiditatibus plus, quàm pie-
tati, servientes. Qvo animo, degeneri sanè &
pravo, nunquam fuit Princeps noster, ut qvi re-
ctum de DEO sensum vitâ exprimat, atque do-
ctrinas & dicta cum factis salutariter conjungat.
Qvorum cum in mentem venit, tūm plura, nec
minora animo occurrunt, qvæ nomen ejus
omni ætati carissimum faciant, atqve indicio sint

ad-

admirandæ cujusdam & publicè declaratæ sanctitatis. Cum enim Francofurti annis abhinc sexdecim more atqve instituto majorum creando Cæsari operam consiliumque navaret, nullaque à curis publicis qvies esset, tamen sanctissimam hanc consuetudinem tenuit, & ante sacris, quām publicis negotiis occupari voluit. Quā famā eas oras, præcipuè Hanoviam, finitiam urbem, implevit, ubi templo, quod a viatis religionibus dicabat pietas, optimum omen fecit, primusque ipse manu sua struendi operis signum dedit, rituq; veteri sacris addixit locum. Id postqvam lætum prosperumq; evenisset, publicè DEO gratias egit, ac satis habuit, esse ibi suæ, esse documentum Saxonicae pietatis. Præterea hoc divinum planè, & gentile etiam hujus Principis bonum est, qvod de fixa statutaq; sententia religionis diligentissimè colendæ adeò non deduci possit, ut qvoq; ejus conservandæ causa nullum laborem defugiat, nullisque sumptibus parcat. Nam ab sedibus & sacris cœtibus abactos, pro qvibus sæpe multumq; gravissimè intercessit, ultrò recipit, ac benignè libera literq; habet, adeò ut in tanta Principis indo-

D

lo

lo non nostra solùm, sed omnium pæne afflita-
rum gentium salus deposita esse meritò existi-
metur. Qvod propterea dico, ut licet exem-
plis notissimum sit, tamen repetendo majorem
vim habeat, atqve altius in animos demittatur:
tum ratio causaqve constet tam prospere Prin-
cipis senii, quod non fortunæ, qvam vel mo-
mento mutat casus, indulgentiâ, sed incorruptis
virtutibus est assecutus, & famâ auctoritateq;
solida usqve ad hunc diem perduxit. Qva feli-
citatis parte iterum Patrem cœlo receptum
æqvat, atqve in supremo sacri imperii senatu
omnes augusto habitu dignitateqve collegas
senectutis veneratione antecedit, ut sic qvo-
qve par patri habeatur, & nihilo brevius, si exi-
tus voto nostro congruat, vivendi curriculum
confecturus videatur. Inest enim in magnis
Parentibus vis qvædam animi ac robur, quod
se diffundit, ac propagat in filios, & vires dat
posteriori, ut stirpis origo illustrior sit, atque i-
mitatione factorum insignium noscatur magis,
atque omnium hominum memoriâ impensiùs
celebretur. Cujus possessione gloriae ita per-
frui-

fruitur Princeps noster , ut , qvum in seipso sen-
tiat , unde ortus sit , simul sciat , in quo laudes
suæ continuuntur , qvippe qvòd Filium animo ,
fortunâ similem **JOHANNEM GEOR-**
GIUM III. eundemqye maximorum re-
gum generum affinemqve , summorum Princi-
pum amicum & propinquum , ac qvod caput
hujus felicitatis est , Patrem in domo sua , atqve
certum successorem habeat , ex eoqve Nepo-
tes numeret , sanctissimam progeniem & præ-
sidium stirpis , **JOHANNEM GEOR-**
GIUM IV. ac **FRIDERICUM AU-**
GUSTUM , in hoc fastigium natos , ut
Avi Patrisqve mortalitatem solentur , ac decus
majorum perpetuum & constans , ac semper si-
bi par retineant , & tantæ hæreditatem laudis
æternâ successione conservent . Ad qvam
spem cum multa me hortantur , tūm illud qvo-
que erigit , qvòd ætate tenerrimâ ad omnes for-
tunæ principalis rationes instituuntur , ac jam
ante prospicere animo qvisqve potest ignicu-
los avitæ gloriæ , qui subinde in ipsorum animis
excitantur , posteris seculis lumen ingens esse

D 2

alla-

allaturos. **Q**væ felicitas peculiaris & propria
Saxonicae domus est, qvòd tot atqve tantis in-
sistat munitis, ac auspicatissimè proroget
sui generis seriem, & felicissimis connubiis atqve
necessitudinibus antiquam dignitatem tueatur.
Nec verò minorem Principi gloriam F R A-
T R E S afferunt, qvi concordibus juncti ani-
mis, auctoritatem ejus qvafsi patris habent, &
maximis Europæ familiis per matrimonia inne-
xi, paribus consiliis, qvod usqvam egregium est,
in Saxoniam transferunt, remqve publicam
prisco more atqve exemplis optimis ornatam,
qvotidie insigni laudis accessione cumulant, &
virtute atqve pacis studio optimisque artibus
stabile sibi domicilium collocant, ac pietate,
prudentiaqve fulti, partes suas egregiè sustinent,
nunquam appetentes alieni, ac ideò maximè
felices. **Q**uamobrem excors sit ac planè sui ob-
litus, qvi cum hæc ac talia animo percurrat,
non secum identidem cogitet, eum Principem
Numini cumprimis esse curæ, qvem tantis au-
tibus extulit, ut neqve senectâ invalidus esset,
& summis necessitudinum ornamentiis auctus,

Cæ-

Cæsar is regumq; gratiâ flor eret. Qvotus
enim quisque Principum est , qvi ingravescens
annis , ea firma valetudine utatur , ut libenti ani-
mo provincias obeat ? qvi tot affinitatibus se fir-
met , ut gentium nationumq; Principes in no-
men domumq; suam coalitos videat ? & hoc
qvoq; asscutus , rerum suarum adhuc fatagat ,
atq; humana omnia aptè moderateq; ferat ?
Qvæ omnia sunt ejusmodi , ut qvilibet sentiat ,
D E U M hunc nobis impertivis; & priùs æ-
terna mente providentiaq; constituisse Prin-
cipem , qvàm eum Divus Pater filium successo-
remq; genuisset , & postqvam eum in spem sa-
lutemq; publicam genuit , non humanum , sed
divinum ac cœleste opus ipsius principatum fu-
isse . Cujus suscepti qvàm læta initia fuere ,
tam retenti continuatiq; fausta ac felicia fue-
runt incrementa , eruntq; pares exitus , & par-
gratulatio cultusq;. Nam cum omnes desiderent ,
J OHANNEM G EORGIUM diu versari in
terr is , tūm publicè interest , ut qvàm diutissimè
huic reipublicæ præsit , cujus libertatem atq; glori-
am felicissimè est tutatus , atq; omni in-

E

du-

dustriâ contentioneqve animi effecit , ut bello
proximè in Germaniam traje^cto , Saxonia ad-
huc pace integra florensque esset , & in primis
hæc Academia dignitate ornamentiisque cresce-
ret , atqve in usitatâ liberalitate ornaretur .
Qvæ spes ita studia honestissimosqve labores
nostros sustentat , ut fateri necesse habeamus ,
ejus in columitate firmari quietem , & restitu^r
lapsam fortunam , ac levari omnes horum tem-
porum calamitates . Is tamen qvò Numini est
benignitate propior , eò majori modestiâ no-
men hoc recusat , memor humanæ fortis . Prin-
cipie autem certè carior esse nobis debet , qvia
indulgentissimus pater est , & nos qvasi filios a-
more comple^titur , ac bonas artes atqve
disciplinas sanctissimas usque eò curat ac foyet ,
ut si eæ toto orbe exularent , credam , apud
JOHANNEM GEORGIUM II.
perfugium esse habituras . Quod nescire , inde-
corum , oblivisci turpe , mihi etiam tacere nefas
sit , qui Principi omnia debeam , & sciam , vitæ
consuetudine mihi conjunctos patres salutem ,
fortunasq; omnes etiam ultrò debere ipsi yelle .

Qva-

Quapropter ut posteri sciant , ELECTOR
MAXIME , quas hic partes obierit Or-
do noster , & quantum huc lætitiæ gratu-
lationisqve Natali tuo attulerit , ac successo-
res nostri hanc diem nomini tuo consecratam
memoriæ mandent , atqve hunc morem à no-
bis traditum sanctissimè teneant , & in futura
secula propagent , aram Tibi hoc loco , qvem
majores tui sanctissimum esse voluerunt , tan-
qvam PATRI dicamus , ac te Præsidem no-
stræ salutis , & custodem juris legumque , ac
servatorem rerum omnium appellamus , & ut
gloria tui Principatus æterna sit , Natalisq; tu-
us , tranquillâ Republicâ , qvam sæpiissimè rede-
at , non metu , sed amore , nec servitii necessi-
tate , qvam renuis , sed obseqvii , qvod poscis ,
cultu pietateqve voyemus . Tanto sanctius ,
quanto tibi justius , PRINCIPI , aut qvod ti-
bi proprium ducis , PATRI , nato ad benigni-
tatem , instituto ad pietatem , facto ad cæteras
omnes laudes , qvarum nulla penes majores tu-
os fuit , qvam non in te quotidie experimur ,
habetqve id tua liberalitas singulare , qvòd ex-

E 2

pe-

FK 104994

pe^tationem nostram aut vincit , aut præoccu-
pat, neqve id satis est , nisi clementiam sibi ad-
jungat , ac fævitiam qvoqve detestetur .

Quo fit , ut tua fortuna omnes attin-
gat , nos præcipuè , qvi uberrimos ex te fru-
ctus capimus , ac religione beneficiorum ob-
stricti precamur , ut omnia Tibi feliciter prospe-
reqve eveniant , tuisque consiliis inter tot ar-
morum tumultus , atqve in hoc motu & con-
versione temporum Europa concors , Germa-
nia invicta , Saxonia pacata & felix reddatur , ac
libertatem imperiumqve avitum retineat , &

LEOPOLDO rerum potente , im-
mensâ gloriæ felicitatisq; acces-
sione augeatur .

DIXIT

CONRAD SAMUEL SCHURTZFLEISCH.

ULB Halle
004 802 950

3



KD77

Aug. 3, 25.

Vc
4994

CUM JUVANTE DEO,

**S E R E N I S S I M U S A C P O T E N T I S S I M U S
P R I N C E P S E T D O M I N U S**

The image shows a large, bold, black title "DANNES G. IS II." printed on a light-colored, textured background. To the left of the title, there is a vertical ruler scale with markings at 8, 18, and 19. A dark rectangular redaction box covers the right portion of the title, obscuring the letters "ANNES" and "IS".

SAXONI
TIUM DUX
MARESCHAL
THURINGIÆ
LUSATIÆ,
MES N

CLIN
IP
QVI
IN THE

ORA ET ACADEMIA



LIVIÆ, MON-
IMPERII ARCHI-
DR, LANDGRAVIUS
NEC NON UTRIUSQUE
AGDEBURGI, CO-
ERGI, DYNASTA
&c. &c.

MAGNUM
ERVENISSET,
IMO EJUS
I,

S c I , I , c LXXXV
SCIDIT,
V O D VVITTE
,

OILENNI, ULATIONE E VIT EBERGENSIS

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typographi.

